

† R. P. Stephanus Maria Heigenhauser (1879-1937)

(Vice-Prov. de São Paulo)

Die 5 Februarii 1937 obitu R. P. Heigenhauser non modo Vice-Provincia nostra de São Paulo magnum accepit detrimentum, verum etiam tota archidioecesis S. Pauli, eiusdem nominis Status, immo Brasilia universa, sicut tot epistolae, sive filo sive via communi ab Episcopis (fere 20), sacerdotibus, magistratibus, civibus, institutis religiosis... transmissae, ac tot pulchri articuli in foliis publicis evulgati luculenter comprobant. Inter hos eminet memoria illa officialis (n. 1549), quam ipso mortis die Metropolita S. Pauli cum clero et grege suo communicare dignatus est. Multae centenae Missae iam oblatae, innumerae orationes

iam fusae sunt pro aeterna quiete P. Stephani Mariae (*Estevam Maria*), sub qua denominatione P. Heigenhauser latissime per Brasiliam notus erat.

Natus erat in Bavaria, in loco archidioecesis Monacensis *Beit im Winkel*, d. 23 Mart. 1879. In iuvenatu nostro, primum in Bachheim, inde ex a. 1893 in Dürrenberg, puer excellebat ingenio et diligentia et pietate. Atvero illa nervorum debilitas, quae per totam vitam septimo quoque anno eum opprimebat, iuvenem coëgit novitiatum interrumpere; sed philosophicis studiis Friburgi Helvetiorum feliciter absolutis ad familiam nostram remeavit et d. 8 Sept. 1900 Garsii vota professus est. Theologiam dein Mauternis navavit, donec, clericus in minoribus tantum ordinibus constitutus, mense Ianuario 1903 in Brasiliam venit.

Iuveni levitae sors obtigit ut sacerdotium Aparecidiae ante effigiem prodigiosam B. M. V. reciperet, et ex illo die fortunato (26 Apr. 1903) insignis praeco et apostolus Virginis Aparecidanae factus est, ut infra dicetur. Cum Superiorum maiorum venia in itineribus suis semper authenticum exemplar Prototypi secum portabat. Hanc effigiem deficiens morientis obtutus ultimum salutavit. Neque tamen omisit studio veri Redemptoristae propagare devotionem erga Perpetui Succursus Matrem, cuius Iconem et Archisodalitatem in permulto Brasiliae ecclesiis erexit.

Postquam aliquot annos in iuvenatu Vice-Provinciae transegit Lector eximius, aestuans zelo diutinum suum aggressus est apostolatam presse dictum ac tot tantisque triumphis insignitum. Inde ab initio Lusitanam

linguam addidiscerat usque ad elegantiam, et in Brasilia Brasilianus esse sagtebat, ut omnibus omnia fieret. Deus autem ei dotes missionario necessarias utilesque abunde contulerat: corpus robustum, vocem fortem sonoramque, pectus inflammatum singularemque eloquentiam. Sciebat multitudines vere «hypnotizare», parvulos non minus quam adultos. Videns hunc Redemptoristam ante agmina innumera incedentem, nunc tibia sibi, nunc umbella signum aliquod edentem, eum potius ducem aliquem exercitus crederes. Cum fere semper esset missionis Superior, ducem revera se prodebat, totius proelii rationem, quoties ipsi necessarium videbatur, ictu oculi permutans, id quod ceteris missionariis sane haud semper gratum exstitit.

Brasilianos suos apprime cognitos habens, valde amabat caerimonias exteriores, veluti in processione ante multos centenos equites equitare, et hoc modo non sibi soli, sed etiam missioni benevolos reddebat viros multos, qui secus pedem in aede sacra non posuissent. Hinc etiam voluit Aparecidanam Virginem Brasilianae genti carissimam ac totius Brasiliae Patronam in missionibus nostris qua talem honorari, eo vel magis, quod eius templum curae nostrae inde ab a. 1894 commissum est¹. Id alia instituta missionalia nobis quodammodo invident, cum videant, quantum hoc momentum psychologicum efficiat ad uberiorem labori successum obtinendum.

P. Heigenhauser aliis quoque modis avitum systema missionale in Bavaria usitatum Brasiliae magis accommodare studuit. Ipsi contioni praemittebat nuntia (*avisos*) haud ita brevia, et sale saepe condita. Viris tradebat peculiare contiones vespertinas. Cultum SS. Sacramenti non fini missionis reservabat, sicut antea factum erat, sed in eius centro collocabat cum adoratione diurna nocturnaue virorum.

P. Stephanus Maria etiam «hebdomades eucharisticas» introduxit et «publica exercitia spiritualia», velut Aparecidae, ubi hodiedum in Quadragesima primum per hebdomadem femineus, dein masculinus sexus ad festa paschalia praeparatur. Etiam virorum sodalicium a S. Familia nuncupatum multum ei cordi erat, nec minus christiana iuventutis instructio atque educatio, quem in finem multos religiosarum manipulos ex Europa accivit.

Cum paroechia nostra Penha paucorum annorum spatio adeo crevisset, ut decies quinquies maior fieret, confrater noster intra paroecliae fines varia sacella exstruenda curavit. quorum duo iam interim paroecliae autonomae factae sunt. A. 1932, in illa rerum publicarum perturbatione, vere populi patrem se monstravit.

Multa quoque tradidit exercitia spiritualia, sive clero sive religiosis, et ubique placebat.

¹ *Analecta* VI (1927), 218-223.

In illa Curiae archiepiscopalis nuntio haec quoque in laudem defuncti confratris dicuntur: « Verum ostendit animarum zelum non modo verbi Dei praedicatione, sed apostolatu quoque calami, continuam operam suam prelo catholico conferens. Hic missionarius genuinus in pugna spirituali nunquam cessabat, id quod haud ita facile est in vita apostolica. Centena oppida Statuum S. Pauli, Minas, Goyas, Matto Grosso, Paraná testes fuere, quanto zelo divinum honorem quantoque amore animas sit prosecutus ».

Eius calamus scriptorius erat argutus. Sicut olim multa egregie pro foliis « Santuario d'Apparecida » scripserat, ita postmodum pro « Liga Catholica Jesus Maria José », quae folia per decennium ipse moderatus est ¹. Etiam in aliis foliis Brasilianis et Europaeis eius commentationes solidae inveniuntur, et Lusitane scripsit vitam S. Gerardi.

Hic humilis Redemptorista, quoniam carus veneratusque erat tot proceribus ecclesiasticis ac civilibus, etiam familiae suae religiosae multorum benevolentiam foris lucratus est.

Inter nostrates per 15 annos fuit Superior, nempe 1918–21 Aparecidae, 1921–24 Penhae, 1924–27 Araraquarae, 1927–30 Vice-Provincialis, 1930–33 iterum Penhae Rector. In Capitulo anni 1921 Vocalis fuit et a. 1929 Visitor extra ordinem Vice-Provinciae de Rio de Janeiro, ultimo tempore vitae Consultor-Admonitor Vice-Provincialis.

Domi P. Stephanus Maria is erat, quem « bonum confratrem » appellare consuevimus: affabilis, hilaris, nil aegre ferens, ad omne servitium paratus. Erga Superiores suos erat observantiae plenus et omnibus exemplo. Quis unquam eum audivit Superiores publice vituperantem? Non quaerebat sua, et Congregationem ut filius matrem amabat.

Praeter istam nervorum debilitatem periodicam nunquam aegrotaverat, et ignorabat plane malum, quod corpori eius iam diu insidebat: stomachi carcinoma. Putabat quidem se illud fugere abstinendo cibis calidis, et forsitan suo victu gelido id promoverit. Ceterum hunc fortem athletam Christi in ipso proelio cadere decebat. Exeunte a. 1936 et ineunte hoc anno ei duo cursus exercitiorum habendi ad 800 viros dioeceseos Taubaté, sed in altero cursu, animo eum extemplo deficiente, concidit. Primum putabat paucos dies quietis sufficere, verum mox alia media quaerenda esse intellexit. Permisit tandem ut S. Pauli in sanatorio S. Catharinae per chirurgum sectio fieret, quae tamen pretiosam vitam conservare non potuit. Pridie Kal. Febr., cum finis instare videretur, Archiepiscopus septuagenarius, Eximius D. Leopoldus Duarte Silva, accurrit ad ultimam benedictionem morienti impertiendam, et inter lacrimas hi duo amici sibi vale dixerunt. Tamen Deus vitam servo suo fideli produxit usque ad primam fer. VI novi

¹ *Liga Catholica Jesus Maria José* XII, n. 9 (Mart. 1937) continet Patris Heigenhauser necrologum Lusitanum.

mensis. Mane hora 9, Sorore morienti candelam benedictam tradente, ipse statim etiam Crucifixum et Rosarium efflagitavit (diu enim mortem adeo vicinam esse ignoraverat), et sui plene compos, inter duorum confratrum preces, placide in Corde Iesu mortuus est, annum agens quinquagesimum octavum.

Postero die Archipraesulis Episcopus Auxiliaris praesente cadavere in ecclesia nostra Penha exequialem Missam pontificali ritu cantavit, circumdatus alumnis Seminarii Pontificii centralis, quam Missam excepit funus sollemnissimum. Sepulchrum clausum est, sed diu vivet in Brasilia memoria P. Stephani M. Heigenhauser, pariter ac P. Iosephi Alfonsi Zartmann († 20 Apr. 1933)¹, quorum alter alterum adeo feliciter complebat, et qui ambo, Christum et Ecclesiam amantes, tam insigni cum fructu Brasiliae vineam missionibus excoluerunt. R. I. P.